

135

D E O D U C E
Meditatio Sanctæ Epistolæ,
FESTI
ASCENSIONIS
CHRISTI.

Additis S. Patrum dictis, Quæstio-

numq; aliquot decisione, ad uberiorem textus, cum o-
pus est, explicationem, & Heterodoxorum refutationem,

Q U A M

In Regia Aboensi Academia,

P R A E S I D E

D N. ÆSCHILLO PETRÆO,

S. S. Theolog. Doctore & Episcopo Abéons.

Examini subjicit, in Auditorio Majori, horis solitis

Ad diem 22. Junij, Anni 1653.

J S A A C U S M A T H I Æ T A M M E L I N U S ,

F I N L A N D U S .

Lyra in hunc locum,

*De omnibus: videlicet de pertinentibus ad Christi conceptionem, nativitatem, vitam
& mortem, resurrectionem & ascensionem.*

Beda in hunc locum,

*Ad instituendam fidem suæ resurrectionis, sive quoque Apostolis post resurrectionem
apparens cibum lumen, carnem suam palpandam exhibet, sed per mysterium
huius conversationis significat se impleturum quod promiserat. Matth.
28. Ecce ego yobiscum suam usque ad consummationem seculi.*

A B O A E ,

Excusa Typis Acad. apud Viduam Petri Wald. An. 1653.

*Multiplici eruditione, eruditâ pietate & rerum Experi-
entia Reverendis Humanissimis & politissimis*

VIRIS ac DOMINIS.

**Dn. NICOLA O MAGNI HAMMAR-
MANN O** Præposito in Sommero Dignissimo,
promotori & Mecœnati, summâ animi Reve-
rentiâ jugiter devenerando.

Dn. JOHANNI PETRI pastori in
Loimajocki fidelissimo Fautori & benefactori
suo honorando.

Dn. LAURENTIO PETRI ABOICO,
Ecclesie que Deo in Tammela colligitur Pastori
vigilantissimo Patri charissimo.

Dn. JONÆ NICOLAI Illust. & Generosissi-
mæ Comitiss. Catharinæ Öxenstierna Logistæ
circumspectissimo.

Dn. OLAO JOHANNIS Generosissimæ
Dnæ. Catharinæ Öxenstierna in Joclis Lemsiöholm &
Zappilareeditum præfecto attentissimo.

*Sacrum hoc Exercitium Academicum in debita
subjectoris, observantie & gratitudinis indi-
ctum certissimum, litatum dicatumq; cupit
& offert.*

Iaacus Tammelinus

Resp.



MEDITATIO TEXTUS,
FESTI ASCENSIONIS
CHRISTI.

In Sanctæ & Summè laudandæ TRINITATIS, PATRIS,
FILLI & SPIRITUS Sancti Nomine.

Et manifestè magnum est pietatis Sacramen-
tum, quod manifestatum est in carne, justifica-
tum est in spiritu; apparuit angelis, prædicatum
est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est
in Glorio. 1. Thimoth. 3. v. 16. Quibus verbis
Apostolus prædicat, ut magnum mystarium, incar-
nationem Filii DEI, justificatus in spiritu, hoc est,
quamvis Judæi ipsum pro seductore & seditione habe-
rent, & eum Pilato tradiderunt, ut eum crucifigerent,
& putabant se rectè fecisse, verum Deus ostendit i-
psum esse suum filium & Messiam mundi, misit etiam
spiritum S. qui testaretur de Christo, quod esset filius
DEI, & verus redemptor totius generis humani, in
quo solo est salus & vita æterna. Visus ab angelis
in tantâ majestate, ut ab illis sit adoratus, ut docet
Epistola ad Ebr. cap. 1. prædicatus est gentibus per
Apostolos per totum mundum, & Christiani facti pluri-
mi & pro ejus gloriâ, multa millia hominum marty-
rio coronati & sanguinem suum fuderunt, videlicet
credentes in illâ fide de quâ loquitur Apostolus Rom.

8. v. 15. seq. ad finem capitis. Pro magno mysterio quoque habendum, ait Apostolus, quod Christus receptus sit in gloriam. Gloriosi in coelum ascenderit ad dextram DEI sedens. De hoc agit *Textus*, qui nobis hâc vice explicandus.

O Remus igitur D E U M, ut hodiernum Festum ita celebrare, Evangeliumq; ita meditari queamus, ut cedat in nominis Divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrine, & bonorum operum, in spem & fiduciam, & tandem in eternam beatitudinem. Dicamus igitur, Pater noster &c.

Textus Act. I. v. 1. 2. ad 12.

A Lloquitur S. Lucas in hoc Textu, suum quendam amicum Theophilum, commemorans se in historia sua Evangelica scripsisse de omnibus dictis & factis Christi, necessariis ad nostram salutem scitu & cognitu, & quidem commemorasse illa, que e-
venerunt usq; ad ascensionem, ipsam quoq; ascensio-
nis historiam, quam in hoc Textu attingit, facit e-
tiam mentionem promissionis Christi, de mittendo
Spiritu sancto, super Apostolos in die pentecostes.
Præterea refert Questionem propositam à discipulis
Christi de restaurazione regni Israel, num Christus
esset hoc restauratus? Ad quam questionem Christus
respondit, non suum officium esse, quicquam pro-
ferre de tempore restorationis regni Israel. Pro-
mittit autem eis spiritum spiritum S. constituit eos
testes,

testes, per suas conciones de omnibus quæ viderunt
E audiverunt. Historiam ascensionis Christi ita S.
Lucas describit, quod Christus absolvens cum eis
 colloquium, à nube elevatus sit in cœlum à conspectu
eorum; E quod mox astiterint eis duo viri in al-
bis vestiti, dicentes: Quare in cœlum aspicitis
viri Galilei, vaticinantur de Christi reditu videli-
scet ad judicandum vivos E mortuos. Confirma-
tur articulus fidei nostræ de Christo, quod ascende-
rit in cœlum; Et de extremo judicio, Christi redi-
tu ad peragendum illud judicium. Excitamur ad o-
randum: Libera nos à malo, da felicem exitum, da
perenne gaudium.

P A R T E S:

- I. De sermone Christi cum discipulis, ultimo, ante suam
in cœlos ascensionem.
- II. De ipsâ Ascensionis historiâ, quomodo Christus ascen-
derit in cœlum.

P R I M A P A R S.

In qua meditamur:

I. S. Evangelistæ Lucæ præ-
factionem ad Theophilum. Antea, inquit S.
Lucas, locutus sum mi Theophile, de omnibus, quæ
cæpit Iesus cum facere tūm docere, in eum diem,
quo receptus est. Postquam Apostolis à se electis, per

Spiritum sanctum, mandatum dedisset, quibus etiam post passionem manifestavit se vivum multis demonstrationibus, visus ab illis quadraginta diebus, & loquens cum eis de regno DEI. In qua prefatione S. Lucas primò refert, quid haecen s scriperit, videlicet res gestas Christi, verbis & operibus, usque ad ascensionem in cœlum. 2. Qued dederit mandatorū Apostolis a se electis, per spiritum S. videlicet de fungendo officio Apostolatus sive prædicationis per totum mundum. 3. Quod demonstraverit se vivum multis argumentis, per integros Quadraginta dies. 4. Quod locutus cum eis de regno DEI; præcipue locutus cum eis de regno DEI, licet etiam alia locutus cum eis.

L. C. Sicut S. Lucas rectè commendat suam diligentiam & studium in conscribendis rebus gestis Christi, quod omnia scriperit Christi dicta & facta, videlicet quæ nobis sunt necessaria scitu & cognitu, ad consequenda per Christum vitam æternam: ita maximoperè commendatur historia Evangelica S. Lucæ, quod in ea nihil deficit. Cum itaque habemus Evangelistæ Lucæ scripta ipsius Evangelium & Acta Apostolorum, habemus præterea etiam reliquos tres Evangelistas, utiq; nihil desiderare possimus, quoad perfectionem historiæ de Christo, videlicet uti prius dictum, in quantum ad salutem historia requiritur de Christo. Alias scimus quid dicit S. Johannes cap. 20. tam multa tamque varia esse dicta & facta Christi, ut si omnia scriberentur, ne mundus quidem illa caperet, sive mundus ista minimè caperet, hoc est, nemo par esset his omnibus legendis & retinendis,

Quæ

Quæ vero scripta sunt, inquit, scripta sunt ut credatis
Jesum esse Christum, & quod credentes per nomen
eius habeant vitam æternam. — Habemus itaque histo-
riam Christi plenissimam & perfectissimam cum os-
mnes Evangeliste in unum conferantur. Habemus
doctrinam Evangelicam in iisdem, plenissimè vero
in actis & Apostolicis Epistolis, ut præterea nihil desit,
quod homo, quantum in hac vita fieri queat, plenissi-
mè informare in via salutis queat. Habemus præ-
terea Vetus Testamentum, in quo Novum fundatum
quod in Novo Testamento declaratum rectè dicitur.
Quid ergo opus doctrinæ hominum & humanis tra-
ditionibus, ad informationem de æternæ salutis ac-
quisitione. Vani sunt Pontifici, qui etiam præter
scripturam, aliam querunt viam pro informatione
ad salutem. In his sufficiat de scripturâ, S. Pauli testi-
monium, 2. Tim. 3. Omnis Scriptura divinitus inspi-
rata utilis &c. ut perfectus sit homo DEI, & ad omne
bonum opus instructus. In sacris Bibliis omnia ha-
bemus, aliò currere opus non est, & si ad nostras co-
gitationes, ad fabulas hominum confugimus, nihil
aliud habebimus quam fontes sine aquâ, & cœlum sis-
ne sole. Manemus itaque in scripturis sacris, has
scrutantibus pollicetur **CHRISTUS** vitam æternam
Ioh. 5.

L. C. 2. Apostoli, singulari Christi vocatione des-
tinati sunt ad hoc officium, vel electi ut Lucas loqui-
tur. Fuerunt illi immediatè vocati à Christo, primò,
in ejus Scholam, & illuc per aliquot annos fidelissimè
& felicissimè informati, sustentati etiam liberalissimè
ut eis nihil defuerit, ut ipsi satentur. Discimus pro-
inde

inde vocationem esse necessariam ministro verbi ad docendum. Quamvis vero nostro tempore, non immediata fiat vocatio alicujus ad docendum, tamen illa mediata efficax est vocatio. Illi qui ab Aostolis, & sic meditatè, à Deo vocati sunt, dicuntur etiam à spiritu sancto positi Episcopi vel doctores & inspectores Ecclesiarum. Act. 20, v. 26. 27. 28. Summus itaque quotquot ordinariè & legitimè juxta ecclesiarum nostrorum piam consuetudinem vocati sumus, Episcopi & Doctores Ecclesiarum à Spiritu sancto constituti. Quare ne aliter judicare de nobis debeamus, quam quod dispensatores mysteriorum DEI, dum fideles, sumus; nobis itaque dictum: Cuicunque remiseritis peccata remittuntur ei, & cuicunque retinueritis, retinebuntur ei; Quicquid solveritis super terram, solutum erit in cœlo & quicquid ligaveritis in terrâ, ligatum erit in cœlo. Aestiment ergò auditores, Synceros & pios Doctores ut veros dispensatores mysteriorum DEI.

L. C. 3. Conversatio discipulorum vel Apostolorum Christi cum Christo per tot septimanas, jucundissima fuit, & jucundior quam ut illam describere queamus, in quibus autem illa jucunditas constiterit, dicere aliud non possumus, quam quod in hoc constiterit, videlicet quod viderint Christum in suâ gloriâ corpus ejus glorificatum; Apostoli, Petrus præsertim cum Christo in monte Tabor, in transfiguratione Christi præsentes & videntes Christi claritatem, videntes gloriam Mosis & Eliæ, nunquam cogitassent amplius de reditu ad retia sua & alia, vel ad Scholam hanc Christi quamvis optimam, non dubitantes quin in illo statu, quo tunc erant, omnia addiscerent sine ullô tædio, non laboraturos toties ignorantia & tar-

nobis

ditate credendi sermonibus Christi, quō nomine ab eo aliquoties reprehensi; dixerint enim bonum est nobis hic esse, faciemus tria tabernacula tibi unum, Mōsi unum & Eliæ unum. Non itaque mirum si quotidiè oramus, libera nos à malo, da felicem exitum ex hac vitâ, recipe nos pater cœlestis in cœlestia tua & spiritualia gaudia. Consumit vir DEI Moses etiam quadraginta dies, commorando apud D E U M in monte, visum est tempus exiguum, cibum, potum & somnum non curavit, rediens vero pulchriorem faciem habuit quam illi qui interea ederunt & biberunt nec dormierunt. Simus hic modicum patientes, feramus quod mutari non potest & ferendum est, citò aderit refocillatio per beatam mortem, erit nobis hinc transitus & introitus in cœlestem æternamq; requiem. O beatos qui haec assidue meditantur & cupiunt cum Apostolo dissolvi & esse cum Christo.

L. C .4 Christus in quadraginta diebus cum suis locutus de regno DEI, de variis delitiis hujus regni, de felicitate eorum omnium, qui illic sunt, & qui eò seriò cogitant venire, de hoc uno cum primis & ante omnia sunt solliciti, quod nunquam auffertur à nobis, quod nec fures furari possunt, nec ærugo consumere, non aqua pessundare vel perdere, Thesauri est cœlestis. In alterâ vitâ erit sermo noster de hoc regno DEI, quanta hic sit svavitas, jucunditas, quam felices jam simus, quam tuti, quam sani & benevolentis, qualia oblectant oculos nostros, aures nostras & omnes sensus. Laudabimus Deum,

qui ab æterno, nobis hoc regnum præparavit, laudabimus Christum qui has mansiones sua passione nobis est promeritus, laudabimus spiritum sanctum qui nobis hæc omnia revelavit, & de his nobis fidem dedit & in fide conservavit. Loquamur etiam in hâc vitâ, in hoc mundo de regno DEI, oremus, adueniat regnum tuum, felix qui edit panem in regno DEI. Non delectemur pravis colloquiis, quæ bonos mores corrumpunt 1. Cor. 15. Sermo noster sit sale conditus, caveamus nobis à verbis otiosis: non loquamur sicut stulti & insipientes loqvuntur, Sap. 2. v. 1. seq. ad v. 21. Sed proh dolor, alia proferunt verba, in inferno, Quæ sapientiæ liber eis tribuit cap. 5. v. 1. seq. ad v. 15.

II. Mandatum Christi discipulis propositum. Mandatum hoc erat, ne discederent Jerusolymâ, expectarent illic promissum Patris, quod audiverunt à Christo prius, fore ut sicuti Johannis auditores baptizantur aquâ ita & discipuli baptizarentur spiritu sancto post non multos dies, Quod hic dicitur de baptismo Johannis, quod saltem aquâ baptizaverit, non ita intelligendum quasi nuda aqua fuerit in baptismo Johannis, & nulla dona spiritus sanctus contullisset, omnino enim contullit hic baptismus dona sanctificatoria fidem, remissionem peccatorum, bonam con-

conscientiam, non vero contulit dona miracula faciendi: de quibus etiam Christus loquitur ad discipulos. Placuit enim Deo Ierusalem conferre Apostolis miraculosè spiritum S. quia celebratur tunc Pentecostes festum in magnâ hominum congregazione ex variis linguis, ut S. Lucas refert etiam adfuisse homines parthos, medos elamitas &c. Act. 2:9.

L. C. Deus vult honorari loca cultus sui synceri, erant in aliis civitatibus Synagogæ, in quibus etiam cultus divinus peragebatur, verum non èa sollennitate sicut Ierusalem, quò etiam ad celebranda festa convolavit populus. Dei nutui & voluntati parendum & obedientium. Quare sic velit, jubeat, mandetque non est quærendum. Pontificii errant perhibentes dona DEI cum primis aligata esse ad Romanam Ecclesiam & Romanam civitatem, sed nullum habent præceptum ut illic saltem expectent Spiritum sanctum Christus alias in genere loquens de omnibus potentibus & orantibus Deum in fide vera, quod habituri sint Spiritum sanctum ubique fuerint. Ubique duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi ero in medio illorum, inquit etiam Christus: Ubique ergò fuerimus, orare possu-

mus : Spiritus tuus bonus ducat me in rectam
viam. psal. 143, v. 10, & Psalmo 52. ne auferas
a me Spiritum tuum sanctum, spiritus prom-
ptus confirmet me.

III. Christi responsionem

ad discipulorum quæstionem de restauratione
regni Israel illo tempore, an Christus illud esset re-
stauratus ? Respondet Christus increpando eos non
nihil, quæ de rebus ad se non pertinentibus interro-
garent, quas pater in suâ constituit potestate. Et
mox svadet ut cogitent illa, quæ ad eorum specta-
bant officium, quomodo illud feliciter expedirent,
ad quod opus esse dicit Spiritus sanctus quem etiam
promittit eis, & eos testes esse vult suos in Iudæa, Sa-
maria & usque ad finem terræ.

L. C. Opera danda omnibus, ut ea saltem aga-
mus quæ ad nos spectant, non immisceamus nos re-
bus alienis & ad nos non spectantibus. Ita docet
hic Christus dicens: Quid vos Sacerdotes & ministri
verbi de rebus politicis estis curiosi, de regni Israelis
restauratione, committite hoc DEO, is abque vestro
consilio, faciet quod decet, quod bonum est. Do-
cet id ipsum Apostolus Petrus prohibens quempiam
pati, ut aliena agentem. Videamus quisque ut pro-
pria faciamus & curemus plus nobis concreditum,
quam ut illud probè exequi perficere queamus.
Ne cupias fieri iudex, inquit Syrach fortassis propter
metum, propter favorem aliquid injustè judicares.

Oremus

Oremus DEUM, ut simus contenti nostro officio nostrâ vocatione, ne existimemus nos digniores, aptiores ad sublimiora. Si quis sibi videatnr stare, videat ne cadat'; portet unusquisque onus suum.

SECUNDA PARS.

In parte primâ habuimus sermonem Christi cum discipulis ultimum, in hac altera parte historiam ipsam ascensionis contemplabimur.

In qua meditamur:

I. Medium ascensionis Christi, sive quo medio videlicet ascenderit in cœlum. S. Lucas dicit Christum vectum nube in cœlum, & subductum ab oculis eorum. Viderunt eum magis in cœlum ascendere, donec tandem visus eorum altius pertingere non poterat. Potuisset Christus hic nube carere in suâ ascentione, sed ita visum, ita placuit. Quare & nos ita contenti simus. Quò ascenderit, hic sanctus Lucas non dicit, in sua historia vero Evangelicâ Cap. 24. dicit Christum vectum in cœlum & in ascentione suâ adoratum à discipulis. sanctus Marcus, ut in hodierno Evangelio habetur, dicit Christum in cœlum receptum &

confessisse ad dextram DEI, accepisse palam omnem
potestatem in cœlo & in terrâ, implendi omnia in
cœlo & in terrâ.

L. C. Verissimus est fidei nostræ articulus,
quod credimus Christum ascendisse in cœlum &
sedere ad dextram DEI. Hanc sessionem Christi
ad dextram DEI in hac vitâ non intelligimus. Est
in cœlis omnipotens, omni præsens, est in terris o-
mnipotens & omnipræsens. Ecce ego vobiscum
sum, ad finem seculi Matth. 20. De hoc plura in
ipso Evangelio hujus festi diximus.

I I. Prædicationem redditus
Christi. Duo viri astiterunt discipulis, inquit, S.
Luc: in albis vestiti, sine dubio sancti & mundi DEI
angeli, quæ prædicant redditum Christi dicentes:
Hic Iesus qui receptus est a vobis in cœlum, sic ves-
niet, sicut vidistis eum ascendentem in cœlum. Hic
angeli non dicunt Christum abfuturum a nobis vel
cum abfuisset ab Apostolis, sed quod esset visibiliter
rediturus, videlicet in extremo die cum magna
multitudine angelorum ut CHRISTUS ipse docet
Matth. 25.

L. C. Licet Christum iam apud nos habemus,
juxta ejus promissionem, in verbis S. Canæ: Hoc
est

est corpus meum, hic est sanguis meus; Et juxta
promissionem illam: Ecce ego vobis cum sunt usque
ad finem mundi; item, ubi duo vel tres congregati
sunt in nomine meo, ibi ero in medio illorum, Li-
cet sit apud nos Christus verissime, tamen non vi-
demus Christum. Videbimus eum in altera vita
summô cum gaudio, videbimus sine fine. Læte-
tur inde Iob in sua afflictione, dicens: Scio quod
redemptor meus vivit, Ec.

Clementissime Deus pater
cœlestis, qui filium tuum Sal-
vatorem nostrū Jesum Chri-
stum, ascendentem in cœlos
in dextram tuam collocasti
non ut à nobis absit sed adsit
nobis. Da nobis tuam gratiam
ut in illum credamus firmiter
& ab eo recipiamur hilariter.
Per eundem Dominum no-
strum Iesum Christum. Amen,

Quæstiones.

1. An Evangelium non curandum, si ab
arcanis DEI abstinentum est? Resp. Tenenda est
mediocritas, cupidienim ad discendum esse debemus
quatenus, nos docet cælestis magister: quæ autem
latere vult, ea ne quis attingere audeat, ut non nisi
ad sobrietatem sapiamus. Nunc quod ad tempo-
rum præscientiam attinet, eam modo investigatio-
nem damnat Christus, quæ ultra divinæ revelatio-
nis mensuram penetrat. Certè hyemem & asta-
tem & reliquias anni partes, frigus ac calorem sere-
num aut pluvium tempus in sua potestate Deus ha-
bet. Sed quia perpetuam fore annorum seriem te-
status est, Gen. 8: 22. non dicitur in suâ potestate lo-
casse, quod hominibus communicavit. Quicquid
arte, doctrina, judicio, usu comprehendunt Philoso-
phi aut agricolæ, hoc Deus non dicitur retinuisse si-
bi: quia apud eos quodammodo depositus. Idem
& de Prophetis scentiendum. Nam illorum offi-
cium fuit scire quæ Dominus manifestabat.

2. Quid velit Christus hâc promissione, accipietis
virtutem? R. His verbis indicat cuiusmodi suum regnum fu-
turum sit, & eos revocat tam ad DEI promissionem quam ad
mandatum, quod optimum frenande curiositati
remedium erat.

